

velut cognatam sibi terram confidenter ingressi, ventorum incursu, velis tumentibus longe lateque laxata classe pervagantes, cum fuisset in animo stationem figere post laborem, ubi voluntas vel magis oportunitas prestabat, dente tenaci anchora fundabant naves.

Hinc frequenter irruptione feroci Gallorum fines hostiliter penetrantes, modo Morinorum urbem¹ usque ad fundamenta diruunt, civibusque ferro peremptis, suburbana illius igne penitus consumunt, modo Ambianis per Sumnam², Novioni³ per Isam⁴, modo per Sequanam Parisius appulsi urbes, castella ecclesiasque subvertunt, prediis ac rapinis nocte dieque insistent, strages innumeras sine cessatione perpetrant nullique parcentes ætati vel sexui, multa milia hominum ferro diversoque modo interficiunt et omnia usque ad consumptionem depopulantur. His cladibus tantisque mortium generibus Gallorum reges et palatii proceres impares ad consulendum seu ad arcendum de regno malum publicum⁵ ruinę istius et intolerabilis desolationis patrię pertesi pessimum iniunt consilium suęque animę mortiferum. Persuadent etenim regibus, ut, quoniam infinitus hostium numerus fines suos violenter irruerat et quęque precipua regni usque inhabitantium necem sibi occupaverat, militum aties et numero et fortitudine ad prelium longe inferiores [congregent⁶], subtrahant interim de possessionibus ecclesiarum, quod superat, et viris fortissimis⁷ per beneficia dividant, distinctis ordinibus novus opponatur exercitus, tribunis, centurionibus, cohortibus cunctisque ad bella promptissimis, quatinus adaucta pugnatorum militia hostes prostrati viriliter superentur et regnum deinceps ab extraneis nationibus valido presidio tueatur. Nefandę huius occasionis causa, sicut retulerunt, qui hoc ita opinati sunt, de heriditate sanctorum Dei non formidaverunt plurima impudenter auferre et fidelium Christi victualia ausi sunt dampnabiliter imminuere.

Fol. 142. Battingearum⁸ prediolum non est pretereundum, quod in Hainaunensi comitatu situm constat et confine est Montensis comitis fisco, qui Waldreacus⁹ nuncupatur. . .

Fol. 142'. In supradicta silva quernas arbores natura prius non protulerat, sed humilis comę passim silvestria virgulta aliarumque diversarum frondium densitatem. Ut autem rusticorum simplicitas audet asserere, una dierum beata Eusebia virgo superveniens vestisque pellitię manicam collecta glande plenam gestans visa est aptissime serere et locis nemorosis

1) Boulogne. 2) Somme fl. 3) So Hs.; Noyon. 4) Oise fl.
5) 'publicum' Hs. 6) Fehlt Hs. 7) Darüber von derselben Hand, wie scheint: 'robustissimis'. 8) Battignies-Iez-Binche (Belg., arr. de Charleroi, cant. de Binche). 9) Waudrez (Belg., arr. de Charleroi, cant. de Binche).